

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Exercitatio theologica de fragrantia Christi quam ex 2.  
epist. ad Corinth. 2, 15.16**

**Buddeus, Johann Franz  
Naumann, Tobias Gottfr.**

**Ienae, 1712**

**VD18 11426357-001**

§. VI.

[urn:nbn:de:bsz:31-130634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130634)

sine emphasi. \* *Evodia* enim per se iam denotat odorem suavem, bonum, gratum, eumque late, & maximo sensu sese diffundentem. Accedente ergo voce ὀσμῆ, quae alias vocabulum μέσον est, designatur odor benefragrans.

§. VI. Vocis *odoris*, in scripturis varia ac multiplex est acceptio, tam in bonam, quam in malam partem; sed eam omnem hic enarrare, superuacaneum valde foret, & a scopo remotum. Potiores significaciones recenset Matthias Flacius. \*\* Vocis *ἐβωδίας* tantum acceptiones indicabimus, quae ad nostrum faciunt institutum. Omnium primo & praecipue usurpatur vox *ἐβωδία* a LXX. interpretibus de sacrificiis DEO oblatis, quae igne consumebantur. In eorum enim accensione odor omnino redolebat, qui non adeo quidem gratus, quin potius molestus erat, ob foetorem, quem carnes accensae alias exhala-

bant. Vnde ob longe alium respectum, odor ille, suavis dicendus erit. Neque enim in

---

\* Vid. Glassius in *Gram. S. l. 3. tract. 1. cap. XXXII, p. m. 461.* Celeberrimus Danzius noster, in *interprete* §. 18.

\*\* In *clauae sua*, sub voce *odor*.

toto veteri testamento vbi de sacrificiis comburendis, quae vel quoad totum, vel partem, igni immolabantur, vlla ferme fit mentio, vbi non appositam inuenies formulam *וּרְחַם לַיהוָה* vel cum praefixo *(ה) לַיהוָה*: *In fragrantiam s. odorem acquiescentiae Domino*, seu vti Lutherus vertit: *zum süßen Geruch dem HERREN*. Legitur v. c. (*α*) de HOLOCAUSTI sacrificio, quod ex armentis, bobus puta, vitulis, ouibus, capris & turturibus constabat, *Leu. I. 9. 13. 17.* & totum igne consumebatur, vt esset typus veri & vnici illius propitiatorii sacrificii, quod Christus in ara crucis exaltatus, & caritatis igne succensus, Patri suo coelesti obulit, in odorem suauitatis. (*β*) de MINCHA, quae ex farina, oleo & thure constabat, cuius partem sacerdos capiebat, *cap. II, 2. 9.* (*γ*) de eucharisticis siue PACTIFICIS, quae erant gratitudinis, pro beneficiis acceptis declarandae, symbola, & ex bobus, ouibus & capellis constabant, *cap. III, 16. & 5.* (*δ*) de sacrificiis PRO PECCATIS, expiatoriis vulgo dictis, quorum oblatione peccata expiabantur, & DEVS placabatur, non vi propria innata, sed vi meriti Christi, cuius erant typi; *cap. IV, 31.* Quamuis autem vbique, in sacri-

ficio-

ficiorum recensione, hanc formulam repetitam esse, non animaduertimus, sufficit tamen probasse, omnia sacrificiorum genera hanc obfignasse formulam, vnde ad reliqua nunc colligere licebit. Quemadmodum autem, omnia a DEO instituta sacrificiorum genera, Messiam, qui in dierum extremitate venturus, & Deo se victimam, ad expianda, hominum peccata, traditurus erat, respiciebant; ita quoque (2) *ἔσωδια* de hoc noui testamenti sacrificio expiatorio dicitur, *Eph. V. 3.* (3) speciali quadam ratione de EVANGELIO, eiusque MINISTERIO, quod Christum crucifixum, praedicat, dicitur *II. Cor. II. 15. 16.* (4) usurpatam videbis vocem de beneficiis siue elemosynis in egenos collatis, *Phil. IV. 18.*

§. VII. In paginis veteris testamenti vocabulo *ἔσωδιας*, respondet *ריח גיחור* odor acquiescentiae, siue quietis. Hinc etiam hanc formulam LXX. interpretes vbiuis per *ὄσμων ἔσωδιας* verterunt, nec sine pondere. Indicat enim Deum, qui grauissime peccatis offensus erat, vnico sacrificio Messiae, quod ipsi odorem acquiescentiae praebet, reconciliatum esse. Sic *Gen. VIII. 2.* de Noae sacrificio, quod post dilu-

B uium